



Index contentorum.

1. De balsamo Beruniano
2. de prudenti virium medicamentis exploratione.
3. de erroribus circa usum topicorum in praxi.
4. de natura & praesentia vini Rhenani
5. de Bradypepsia
6. de purgantibus fortioribus ex praxi eiciendis
7. de anatomia publica.
8. de luxationum synthesesi in genere.
9. de auditu difficili
10. Ulcerum aetologia & curatio
11. de purgantibus selectis & minus cognitis.
12. de specificis antispasmodicis.
13. de perpetuo stultitio ex thorace.
14. Pathologia diuinivatur Helmontiani.
15. de morbis lienis
16. de affectu raro scorbutico pustulari.
17. annorum climateticorum rationalis explicatio.
18. de specificis antispasmodicis.
19. de bile medicina & veneno corporis.
20. de Carolinis thermis.
21. de temporibus anni insalubribus.
22. de temperamento fundamento morum & morborum,
23. de morbis certis regionibus & populis propriis.
24. crinum natura & explicatio rationalis.
25. de inflammatione ventriculi.
26. de siderum in corpora influxu.
27. de methodo vitam longam acquirendi. Wolffii epistola.
28. medicus sui ipsius.
29. de astmate convulsivo cum hydrope pectoris
30. de anatome in praxi medica usu. X c. 33..

Q. D. B. V.

9. 33

DISSERTATIONE INAUGVRALI MEDICA

LEGES NATVRAE

IN

CORPORVM

PRODVCTIONE ET

CONSERVATIONE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. PHILIPPO WILHELMO**

PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENB. CETERA,

*PRAESIDE*

**DN. FRIDERICO HOFFMANN**

CONSILIARIO ET ARCHIATRO REGIO,  
MEDICINAE ET PHIL. NAT. P.P. h. t.

DECANO,

*PRO ADIPISCENDIS SVMMIS IN ARTE  
SALVTARI HONORIBVS,*

*Ad D. XXII. Novembr. M DCC VII.*

exponet

*A V C T O R*

VRBANVS GODOFREDVS BVCHERVS,  
MISNICVS.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.

PER ILLUSTRIS DOMINO,  
DN. VVALTHERO  
EHRENFRIDO  
ATZIRNHAVSEN,

EQVITI LVSATO,

DOMINO CLIENTELARVM KIESELINGS-  
VVALDAVIAE ET STOLZENBERGAE,  
SERENISS. REGIS ET PRINCIP.  
ELECTORIS SAXONIAE

CONSILIARIO;

DOMINO SVO PER QVAM  
GRATIOSO,

HAJAE MAGEBVRGICAE  
Type JOHANN GRÄNERI, Acad. Typogr.

PERILLVSTRIS DOMINE;

DOMINE PERQVAM GRATIOSE,

**G***Ratiam addet scripto, quam  
per se non habet, Nominis Tui  
splendor. Tanto enim uero illa erit  
maior, quanto hoc in Chymia est il-  
lustrius. Hoc orbis eruditus, hoc  
ego in primis, paterque meus uene-*

A 2

ra-

ramur. Eoque studiosius, quo pro-  
lixior est Tuus, Perilluſtris DOMI-  
NE, in meos fauor. Neque hic a-  
ſpernabitur animi piſſimi, quan-  
tumuis tenue, monumentum. Id  
conſecutus de testimonio constantis  
erga me uoluntatis mihi gratula-  
bor,

PERILLUSTRI NOMINI TVO

Halae Magdeburgicae  
D. XXII. Nov. MDCCVII.

*deuotiſſimus*  
*uenerator,*

VRBANVS GODOFREDVS BVCHERVS.



LEGES NATVRAE  
IN  
CORPORVM PRODVCTIONE ET CON-  
SERVATIONE.

L



Vm viderim, Theologos in componendis controuersis prouocare ad Legem Diuinam, S. Codice contentam, ICTos vero ad Iura, placitis, et pactis gentium et ciuium introducta: equidem optaui semper, ut et Medici Corpore quodam Legali, cui actiones suas in primisque curationem aegrorum conformare possent, instructi essent. Hi quidem Librum Naturae possident, in quo Deus rationem actionum illarum, quae tum in hoc uniuerso mundo, tum in nostro corpore citra uoluntatem nostram fiunt, quarumque directio, et cura ad Medicos pertinet, expressit: ceterum, quamuis liber iste omnium pateat oculis, dolendum tamen, quod plurimos genuinus eiusdem sensus lateat. Hinc in expandendo hoc uolumine, loco Legum certarum, plerique hypotheses tanrummodo fallaces rerum natu-

A 3

ra-

ralium tradunt, quae non ductum naturae, sed assumpta principia respiciunt. Vnde in illorum systematibus Physicis non inuenias detectum processum naturae, quo in suis operationibus utitur; sed potius figmenta principiorum, et inextricabiles de iisdem disceptationes. Quodsi in causam huius propositi inquiras, uix reperiās aliam, quam eorum in hoc studio ineptiam, qua, neglecto praecipuo rerum naturalium cognoscendarum principio, puta Experientia, Rationi tantum indulgent. Hinc ampliorem discurrendi campum attingunt, ubi de Principiis sermo est, quam, ubi de specialibus corporum naturalium operationibus loquendum. Verum Ratio, quo uagatur longius, eo semper magis a scopo recedit proposito, et, a uia ueritatis, cui nos insistere diuina iubet sapientia, ut cum Boissardo (*Theatr. uit. hum.*) loquar. Enimvero praestat, si missis, aut obiter saltem praepositis rerum naturalium principiis, potius earum operationes perscrutemur. Certum enim est, Res ipsas nos ignorare, et Modos tantum rerum scire, hoc est, ea, quae accidunt rebus naturalibus, nobis esse cognita; in ipsam uero rerum essentiam, quae aeterna est nunquam nos penetrare, ut D. G. Morhofius philosophatur. Et quamuis illarum constitutio ex Mechanica, siue proportionata constructione fluat; longe tamen subtilior hic Mechanismus est, quam ut sensibus nostris percipi possit, multumque differt ab illo rudi, quem Mechanici manuales tractant, cuius fundamenta ex Mechanismo Animalium sumpserunt. Hic enim tractilium, et solidorum crassiorum, seu continuorum, ille fluidorum, seu contiguorum est. Ut ergo de priore egregiae uirorum doctissimorum de-

mon-



monstrationes prostant: non tamen pari successu in posterioris rationem peruenire potuerunt. Neque mirum, quod eius demonstratio tantum laboris Physicis afferat, cum secretarum in fluidis operationum euolutio et cognitio maxime sit abscondita, atque inuoluta, quae sola tamen maximum Medico et Chymico emolumentum suppeditaret. Sufficit enim his Legem, et Processum Naturae nosse, eumque cum in praeparatione medicamentorum, cum in eorum applicatione ad corpus humanum imitari, licet nullam aliam imitationis suae causam possint reddere, quam ut effectum allegent contrarium, si alio, et contrario modo processissent. Quae methodus est Mechanicorum manuariorum, qua de causis laborum suorum nos edocent. Equidem Icti, applicantes actionem quandam ad legem, inquirere necesse habent in causam, et rationem legis, cui aduersatur actio, ut uideant mentem legislatoris, et, num ea difformis sit intentioni rei, obseruent: haec tamen ipsa demonstrandi ratio, a priori dicta, non locum obtinet in Physicis. Res enim naturales, seu potius processus, et leges naturae, nullam aliam demonstrationem admittunt, quam quae ab effectu, seu a posteriori procedit.

II. Ego autem, ut propius ad propositum accedam, dixi, me expandere uelle Leges Naturae: ubi praemonendum duco, me uoce Legis non intelligere talia praeccepta, quibus ad praestandas, uel omittendas certas actiones obligamur: sed indigitare Processum et Viam, quam Natura in suis operationibus elegit, et huc usque inde a condito orbe non interrupto ordine relegit, qui ordo diurnitate temporis, ceu consuetudine, uti in-

CIV

ciuilibus moris est, uim legis quasi obtinuit. Veruntamen tantum abest, ut Naturæ Opificem, DEUM, illi ordini adstringamus, ut potius ab ipso positum et sancitum affirmemus. Non uero animus est nobis in omnes naturæ operationes inquirere; non enim sollicitus ero de legibus motus animalium, quas Viri CL. firmis demonstrationibus explicarunt: neque perceptionis, et modi afficiendi corpora fundamentum eruam, unde animal uaria pathemata, uariosque gestus, et homo, accedente informatione, uoces distinctas, quibus ea, quae percepit, distincte aliis proponit percipienda, edit: sed illam tantum rerum naturalium affectionem peruestigabo, qua *oriri*, et *interire*, seu *generari*, et *perire* dicuntur, quæue sui *incrementum*, uel *decrementum* capiunt. Haec enim Medico ostendit media conseruandi, et ab interitu uindicandi quaslibet corporis nostri partes, pariter ac modum parandi remedia, quibus opus, præscribit.

III. Iam in Constitutione, seu Generatione Corporis, duo consideranda ueniunt, nempe Constituens corporis, et Modus constitutionis. Prius est materia uariæ indolis, cuius species, et differentias, gradibus distinctas, determinare non ausim. Recensent quidem Physici uarii generis materiam, ex qua tanquam ex principio, corpora naturalia composita fuerint, et in quæ resoluti possint: sed, quod ad primam eorum productionem attinet, erudimur ex sacris literis, Deum non tali modo processisse, ut componendo corpora ad se inuicem rerum species produxerit; sed ex nihilo omnia, prout iam in uigore sunt, prodire uoluisse. Quæ uero de resolutione corporum in ultima sua principia quidam

dam iactitant, ea paucorum consequuntur fidem. Quicquid enim nobis ostendant, illud non simplex, et homogeneum; sed maxime compositum esse, omnes producti illius, quod obrudunt, affectiones ostendunt. Nam si Principia Chymica Paracelsi non de solo lapidem Philosophorum praeparandi mysterio intelligenda; sed ad omnium corporum naturalium alterationes, ignis, eiusdemque siue actualis, siue potentialis ope institutendas, extendenda sunt: illud quod ope resolutionis huius remanet, et falsis nomine uenit, praeter sal uariae indolis, terram, et mucilaginem; quod autem auolat, seu in sublime attollitur, et Mercurius nuncupatur, praeter humidum, sal uolatile, et ramenta oleosa continet. Horum tandem uinculum pingue, uel unctuosum, sulphur dictum, quod ignem alit, et eo immisso consumitur, uariae quoque, ut ex corporibus patet compositis, est naturae. Non uideo ergo, quid obstet, quo minus asseram, tot, quot uidemus corpora, seu potius partes corporum, consistentia discrepantes, dari materias, cum non unum ex alio, sed singulaeorsim a DEO sint creata. Habent siquidem particulae figuras, seu formas suas originarias, quas nunquam deponunt, etsi nonnunquam occultent. Licet enim DEUS tantam corporum copiam non creauerit, quanta hodie reperitur; secus enim uerbum benedicti: Crescite, et multiplicamini uim, atque effectum suum non expleret: tamen certum est, quod tota telluris, in qua corpora crescere, et multiplicari cernimus, non augeatur moles, adeoque nouis constituendis impendatur. Quodsi enim, multiplicatis corporum naturalium speciebus, terrae, cui insistent, pondus augeretur, uerendum

B dum

dum esset, ne ista reliquis, quae circumstant, fideribus praeponderet, adeoque motus aeterni leges uiolentur. Vnde error illorum patescit, qui sibi imaginantur, quod influxus fiderum non solum alterando, sed quoque substantiam suam communicando, in his inferioribus operetur: quod ipsum assertum uti aequilibrationem mundi tollit; ita sufficienter ex iis, quae dicta sunt, dilui potest. Vere ergo Hippocrates (*L.I. de Diaeta*) dixit: *Nullum corpus perit, neque fit, quod prius non erat; uerum permixta, et discreta alterantur. Homines autem putant, hoc quidem ex orco in lucem auctum generari; illud uero ex luce in orcum imminutum perire, ac corrumpi.* Quicquid enim uideremus oriri, id non noua creatione factum est; sed remotione aliorum corporum, quibus obuolucum deliquerat, in conspectum uenit. Vnde et terra non ubique singulis producendis apta est. Nam, ut Virgilius canit,

*Hic segetes, illic ueniunt felicius uuae.*

Sicuti itaque sufficiens particularum, quae in alimentum et nutritionem corporis cedunt, affluxus, et apparatus, ad molem corporis augendam facit: ita illarum defectus diminutionis, et ruinae corporis causa est. Hinc non mirandum, quod si alimentum inter plurima corpora distribuendum est, genuina eius segmina parcius conspiciantur: quod ipsum longaeuatae corporis durationem obscat. Inde uix errauerim, si causam sterilitatis, et uitae breuioris animalium nimiam partium extenuationem dixerim, et, quod plures inconuenientes admixtas habeant particulas. Vnde ex illarum mixtione tot noui morbi oriuntur, quorum typos nulla superior cognouit aetas.

IV Circa Materiam corporum illud ueterum discrimen probe attendendum, quo distinxerunt eam in Atomos, et Semina, quorum illas Cl. Io. Christoph. Sturmius Materiam inorganicam, haec uero organicam appellat. De priori specie hoc loco potissimum erimus solliciti, quandoquidem illa in primis facit ad corporum constitutionem, quam hic explanare decreuimus. Sed cum tamen doctrina de generatione Seminum, quae in Animalibus nomen ouorum habent, ea, quae iam de mole dixi materiae, quodammodo illustret, pauca et de eadem proponam.

V. Duae uero sunt praecipuae opiniones de ouorum in animalibus generatione, quae ceteroquin non minus de uegetabilibus sunt intelligendae. Alii autem inuolutionem ouulorum statuunt, et, progrediendo ad inuolucrum primum, totum genus humanum in Euae ouario latuisse dicunt, ex quo noua hominum progenies, ceu dentes ex alueolis, cornua, et ungues ex tuberculis seu bulbis cranii et tendinum, et pedes cancerum ex acetabulis, imo, ceu germen ex germine, emerferit. Quam sententiam, tametsi alii omni rationi contrariam pronunciant, et, collata inter se multitudine partium corporis nostri, atque angusto, quod ouulum describit, spatio, risu explodunt: non tamen, ut pro impossibili habeam, e gomet facile adducor. Nam sicut intellectui meo non patet terminus, quando corpus aliquod est augendum, sed augmentatio haec in indefinitum extendi potest: ita eiusdem diminutio in infinitum potest contrahi, aequae ac ratio multiplicando res in infinitum auget, et e contrario diuidendo in infinitum minuit. Nec ex uano, opinor, dixerim, hanc

hanc doctrinam dogma fidei de resurrectione rationi nostrae quodammodo perspicuum reddere. Cum enim moles telluris non augeatur, uti antea demonstrauimus, sed in generatione rerum materia saltem permuetur, ita, ut etiam nutritio animalis, ob transpirationem perennem, continua dicatur generatio atque mors: homo sane resurgens non posset cum Iobo carnem suam propriam uocare, nisi a tota mole corporea aliquid superesset, quod alia corpora non fuisset ingressum, quod ipsum in ouulo praexistisse probabile est. Nec est, ut risu excipias exilitatem corporum nostrorum, quae hinc sequeretur. Nam, quod et haec exigua nostri portio clarificando corpori nostro suffectura sit, pio motu sum persuasus. Quam in sententiam conf. D: Bern. Connor, in Euangelio Medici.

VI. Altera sententia ingeniosissimi Philosophi, Becheri est, quam *Physic. subterr. L. I. Sect. IV. Cap. IV.* exhibet, et quae in Hippocratis, summi Physici, iudicio fundatur. Hic enim Libro de Aere, Aquis et Locis dicit, *Semen genitale procedere ab omnibus corporis membris.* Haec itaque segmenta, et atomi omnium corporis nostri partium inouis quidem in foecundis confuse iacent; accedente uero genitura uiri, lympa, cui immerfae sunt, rarefit, et atomus quaelibet ob grauitatem determinatam certum locum occupat. Interea uero, dum nondum firmiter cohaerent, atque compactae sunt partes embryonis, leui causa, et sola imaginatione matris facile possunt deturbari, ut inde defectus partium aut menstruum aliquid exsurgat.

VII. Sed sufficiat haec breuiter monuisse de initio productionis corporum animalium atque uegetabilium,  
id

id est, de generatione ouulorum et feminum. Nec enim ex instituto de hoc argumento agere constitui. Agam uero pluribus de materiae feminalis impraegna-  
tae corporum augmentatione, quam uulgo exten-  
sionem appellant. Haec autem extensio duplicis est ge-  
neris, alia nempe Nutritionis, quae animalibus; alia  
Vegetationis; quae uegetabilibus competit. Vtraque  
tamen eadem ratione, quo Mineralium generatio, nempe  
accretionem atomorum procedit, aequae ac mors et  
interitus priorum nihil aliud est, quam partium reso-  
lutio. Et hic est Modus constitutionis corporum, idem-  
que alterum, et primum Tractationis nostrae mem-  
brum, qui modus non solum ab Hippocrate, Libro de  
Diaeta, traditur, ubi *commisceri* idem est; ac *generari*,  
et *discerni* idem, ac *perire*; sed ab omnibus quoque an-  
tiquis Philosophis, qui quidem de causis mutationum,  
generationum, et corruptionum Physicarum commen-  
tati sunt, unanimi sententia fuit obseruatus. Horum-  
que primus memoratur Mochus Phoenicius, quem ante  
Troiae excidium, adeoque ante ipsum Hippocratem,  
floruisse referunt Historici. Is enim hanc de genera-  
tione, et corruptione habuit sententiam: *Corpora natu-  
ralia gigni atomorum, seu corpusculorum insectilium con-  
spicui; interire earundem diuapicui; uariari earundem di-  
uersa dispositione, atque ordine.* Quemadmodum enim  
ex uiginti quatuor literis, uarie coeuntibus, omnis di-  
ctionum uarietas existat: ita ex hisce atomis in rebus  
naturalibus omnem oriri mutationem arbitratus est, re-  
ferente Io. Scharffio, *Phys. Recogn.* Mochum secuti sunt  
Leucippus, Democritus, Epicurus, Lucretius, Anaxa-  
goras, alique, et inter recentiores ex parte Petrus Gas-  
sendus, qui in *Physica* sua uideatur.

IIX. Vnio ergo unius generis particularum corpus facit apparere; illarum uero seiunctio disparitionis eius causa est. Quoties enim materia quaedam interuentu alius seiuncta reperitur, toties sensuum nostrorum iudicium fugit, qui non, nisi de congestis, et mole conspicuis iudicant. Sic in herbis ex sapore non percipimus sal, quod, combustis, et igne dissipatis compedibus, quae illud distraxerant, ex iis elicitur. Nec radii, dehiscences a corporibus, et per aera protensi, conspiciuntur, nisi interuentu diaphani crassioris iterum colligantur.

IX. Causa unionis, et cohaesionis particularum est homogenea, et aequa earundem quoad molem, et superficiem constitutio, qua sui iuris factae, et fluido rarefacto innatantes, sedato rarefactionis motu, coeunt, et inuicem arcte combinantur, atque in hoc nexu, accedente aere, extrinsecus comprimente, tam diu conseruantur, donec ui noua dirimantur. Videmus hoc in pulueribus uariae crassitiei, aquae immersis, quae, moto uase, aquam continente, primum confuse circumgyrantur, cessante uero hac motione, eo ordine subsidunt, ut crassiores fundum petant, reliquis iuxta gradum molis suae his superstratis, quam cribrationem uocat Philosophicam Robertus Boyle, *de Vilit. Phil. Experim.* Eodem modo dum agricolae, grana frumenti a paleis separantes, illa his permixta uentilabro proiciunt, singula huius mixti genera coniunguntur. et pro sua grauitate loca, diuersis interuallis a dispergente protensa occupant. Ex quibus patet, quod similitudo corporum sola causa sit coniunctionis intimioris, cuius ratio non in sympathia quadam, et amore  
mu-



mutuo. quo ad se inuicem rapiantur, sed tantum in grauitate eorum quaerenda. Propter hanc simile petit simile, nullo instinctu alio, quam ui ponderis sui impulsus. Neesse enim est, ut, si uarii generis, seu diuersae molis corpora mota aliquo tendant, singula pro uarietate molis suae citius, uel tardius eo, quo uergunt, ueniant. Idcirco eiusdem molis particulae, idem temporis spatium cursu suo absoluentes, locum eundem occupant, dum desinunt moueri.

X. Deinde ad hanc unionem plurimum confert aer circumstans, et particulas probe cohaerentes coercens, qui e fissuris corporis, ope fluidi illius, cui immersae erant particulae, exclusus, totius compagis contextum premit, et, ne dehiscant, et corruant, praesertat. Pater hoc in coniunctione duorum planorum, arcte combinatorum, quod in marmoribus demonstrauit Boyle: et, intercedente medio, nempe mercurio uiuo, applicationem folii metallici ad uitrum, in conficiendis speculis fieri uidemus. Hoc quippe fluidum ferreum, folio metallico superfusum, aerem excludit, dum artifex uitrum apte protrudendo submittit.

XI. Hae fuerunt causae constitutionis, seu generationis corporum; corruptionis uero sunt Fluida uaria, quae contextum corporis, poros eius subeundo, diuellunt. Duplici uero modo agunt in corpora. Vel enim laxant compagem eius, atque illud constituentia successiue, citra illorum dissipationem, dirimunt, id quod potissimum ab Aqua fit: uel ui et impetu quasdam discerpunt particulas, easque protrudendo ruina corporibus pariunt, id quod ab Igne fieri obseruamus, siue sit actualis, et luculentus, siue potentialis, per salia,  
aqua

aqua soluta, acquisitus, cuius ignis tamen uis multo sedatior et mitior existit.

XII. Eadem tamen Fluida sunt quoque Media, quibus connexio, et coniunctio particularum perficitur, et commodum praebent uehiculum, quo partes ad constitutionem corporis requisitae, deferuntur: hoc tantum obseruato discrimine, quod pabulum producendorum corporum, in his sufficienti copia latens, exuperet tum uim, mouentem fluidum, tum heterogeneas, et collisionem renuentes particulas. Ipsum enim Fluidum etsi uacuum est omni heterogeneitate, si continue moueatur: accessum tamen partium homogenearum ad se inuicem impedit, uti obseruamus in crystallatione salium, quae non procedit, nisi solutio quieti reponatur.

XIII. Sed exponenda iam uenit uis illa mouens Fluidum, quae medium hoc unionis, et resolutionis dirigit, uel saltem in fluore conseruat. Hanc uim licet diuersam primo intuitu concipiamus, unam tamen, eandemque semper esse, et diuersas tantum facies a mediis diuersis, effectum eius adiuuantibus, uel retardantibus, induere obseruamus. Est uero calor, quem Ignem Naturae ueteres, recentiores uero aetherem rarefactum appellant. Hic aquam dimouet, et diluit, ne frigore concresecat, eique calefactae diuersos caloris gradus communicat: idemque rarefaciendo aerem crassum, pressum eius a corporum lateribus submouet, et arceat, ipse uero, propter obstantes diuersas corporis resoluendi, uel additi adiuuantis, materias, modo penetrat, modo suppressitur: unde confusus particularum motus subsequitur. In hoc ipso uero motu, et  
 lucta,

lucta, illae, quae reliquas numero superant, coeunt, atque coniunguntur.

XIV. Calor hic a sole est, qui, rarefaciendo aethere, corpora omnia, quae quidem permeat, calefacit, peruadendoque in fluorem redigit, minima eorundem, a se inuicem secedentia, continuo agitando. Quemadmodum igitur aether interpositione aeris crassioris uarie densari, adeoque calor temperari potest: sic idem coniunctione corporum nonnullorum intenditur, atque augetur. Sunt autem illa, quae arctiorem contextum habent, et unctuositate sua nulli alii, quam aetheri, aditum permittunt. Hac enim uiscositate aether in transitu rectilineo detinetur, et uarie cursum suum flectendo augetur. Vnde corpora uiscosa commodissimum flammae alimentum praebent. Hoc uero praestant sulphura, bitumina, resinae, olea, pinguedines, et quicquid inflammatur. Quae licet et alia admixta habeant: omnia tamen in unctuositate hac, et tenacitate conueniunt. Aetheream illorum originem, seu complexum, probat elatus, quem in mistione cum fluidis occupant, locus. Vnde illa corpore tenuissimo, minimoque ponderi obnoxio, referta esse, patet. Et quamuis inflammabilia mineralia, aquis iniecta, subsident, ob nimiam partium terreorum, immo metallicarum, coniunctionem, et absorptionem: tamen in eo conuenientiam cum his produnt, quod ope distillationis tota ferme, licet mutata forma, et sub specie salis acidi, phlegmate soluti, euehantur. Et licet spiritus hic acidus, ex iis impetratus, inflammari nequeat, non tamen caret ui urendi, quae non-

C

nun-

nunquam tanta est, ut caeteriorum actualium vicem possit supplere. Inde non immerito aetherem incorporatum sal acidum dixeris, quod eodem effectus via humida peragit, quos flamma, aut inflammabilia via sicca praestant. Et licet aquae inditum, illam per se non calefaciat, tamen additione salis acris, notabilem dimotionem, imo calorem ei inducit.

XV. Atque in eo posita est ratio Fermentorum, quibus motus corporum in Fluido crassiori, seu massa pultacea adiuuatur, utpote quam duo haec salia contraria ingrediuntur. Nimirum Sal Acidum est terra clarificata, seu diaphana, in aqua solubilis, aetherem detinens, atque concentrans: Sal Acre uero est eadem terra pellucida corporum uariorum, quae, priori, ope fluidi aquei coniuncta, eius contextum dirimit. Vnde aether, priore inclusus, diffractis repagulis, totum Fluidum, cui immersum utrumque sal est, peruadit, illudque uarie impellendo mouet. Hic motus, si plures terreae resistentes particulae Fluido insunt, Fermentatio: sin uero purius sit fluidum, Effervescentia nuncupatur. Causa, cur agant isthaec salia in se inuicem, non alia est, praeterquam contactus mutuus, et intimus, ope aquae inductus. Vnde sal acidum dimittit, quicquid aetheris continebat. Sicuti enim sulphur aut pingua augent aetherem, eumque miscent aeri, dum uincula unctuosa, quibus detinetur, dissipata humiditate, collabuntur, atque consumuntur: ita sal acidum auget, et infert aetherem aquae, seu massae pultaceae, dum huius contextus prius a sale acris fuit diremptus, quod coniunctione, seu coitione illorum ipsorum, uti iam dictum,

con-

contingit. Requiritur uero tale menstruum, seu fluidum, ad destructionem, quale ad productionem erat necessarium: qui processus in omnibus naturae operationibus obseruatur. Nimirum, si mixto soluto additur corpus nouum, menstruo decente solutum, hoc miscetur homogeneis partibus, ceteris, priori innatantibus, ad fundum praecipitatis. Sic, quando lacti, quod nihil aliud est, quam oleum, seu pulpa, aquae mista, immittitur sal acidum, tunc salacre, cuius beneficio pulpa intime aquae unita erat, illud aggredditur, unde aqua illam sub specie grumorum dimittit. Simili modo pars oleosa attenuata spiritus uini ex uegetabilibus, aliisque extrahit, quicquid inflammabile in iis reperitur: et, dum uictu implemus corpus, lymphae uentriculi, saliuae, et reliqui in canalem alimentorum effusi liquores, absorbent, et sibi adiungunt illud, quod suae naturae est, et ob proportionatam superficiem facile cohaeret. Inde, si prauis humoribus corpus scater, tales quoque particulas, e massa ciborum discerptas, sibi associant, quae alioquin cum fecibus aluinis praecipitati, et e corpore eliminati fuissent. Manifeste hoc uidemus in generatione calculi in uis, quas perluit lotium, aliisque corporis locis, in quibus lapidosa eiusmodi materia non concrefcit, nisi prius crassius quoddam corpusculum paulo diutius fuerit retentum, quod sensim sensimque diuersis crustis, seu inuolucris obducitur. Nec raro contingit, ut fermenta, ob uigorem fomitit sui, puta humoris acido-acris, seu cuiusdam lactatoris, quicquid noui succi affluit, subigant, et, si non augmentum inde capiant, tamen omnem eius

uim eludant, illudque destruant. Quare saepe tanta eorum acrimonia est, in primis in ulceribus narium, aliisque cancris, ut aquam regiam aemuletur, neque, nisi auro, saturari, et infringi possit.

XVI. Vt igitur duum generum fluida habemus: humidum et ficcum: ita pariter duplex generationis ratio est, nempe humida, et sicca, siue, ut Chymici loquuntur, per uiam humidam, et siccam. Prior modus placidus est, atque naturalis, quippe quem natura in plerisque suis operationibus adhibet: posterior magis uiolentus, et plurimis corporibus destructiuus, dum gradus non obseruat, quibus natura in productione corporum adstricta est, sed faciendo saltus immutatione corporum momentanea, quasi ui quadam ex iisdem elicit, quod, sibi relicta, successiue praeuissent. Prior modus instituitur in Aqua, quae, siue pura, siue uario salium genere armata est, Menstrui nomen accepit a Chymicis: posterior fit Igne actuali, seu flamma, aucto similiter motu eius additione salium, quod in cementatione contingit. Communis uero utriusque modi finis est remouere obstacula, quibus minima corporis desiderati detinentur, et non raro occultantur, quo, disiectis hisce, in lucem et conspectum protrahantur: quam productionem Generationem dicimus. Remouentur uero, dum, ut dixi, applicato medio fluido, in quo, adiuuante calore, compagi corporis conformi, soluuntur, et uel menstruo coniunguntur, uel ab eo excluduntur, et praecipitantur, uel in auras disperguntur, et uase excepta sublimantur.

XVII. Vt legis huius naturae ueritas eo melius pateat, examinemus quaedam Artis, et Naturae producta,

sta,

cta, eorumque producendorum modum. Ita uero, omnia se tali modo habere, et ubique nihil, nisi permutationem partium esse, constabit. Sic, si desideramus sal uolatile acre, siue ficcum, siue phlegmate solutum, quo partes animalium, praecipue durae, et uegetabilia quaedam abundant, in quorum tamen oleis aequae, ac animalium partibus mollibus, et gelatinosis, nimis attenuatum est, illud e consortio reliquarum partium tribus modis excluditur, dum nempe uel putrefactioni exponimus mixtum, ubi a motu contrariorum, adiuuante aere externo, exhalat, foetore se prodens: uel uno impetu contextus immutatur igne, seu combustione, unde eleuatur atque sublimatur: uel tandem absorptione acidi, a quo facta fuerat attenuatio, eiusque praecipitatione sui iuris euadit. Cumque olea cum acidis pari passu ambulent, hinc et ex illis idem sal uolatile acre elicere eo modo contendunt Chymici, quamuis plerumque labore frustraneo, ob nimiam salium istorum in oleis attenuationem. Adhaec in tanta copia in iis reperiuntur, ut sua uirtute superent inuolucra, quae disiicienda, et immutanda erant. Quo fit, ut eosdem effectus, quos acria pura edunt, producant. Atque his modis procedit sublimatio.

XIIX. Inter producta Praecipitationis occurrunt calcinata, et salia, quae, igne consumptis eorum compedibus remanent, uel per se usui adhibenda, uel debito modo purificanda: id quod in productione salium requiritur. Nonnullis mixtis, quibus hic modus applicatur, additur absorbens, ut ab acido liberentur, siquidem producta eius mere sunt alcalia. Videmus hoc in fusione regulorum metallicorum, et metallorum a se in-

uicem separatione. Mineræ enim sunt terræ, scatentes fuco acido, qui ramenta, quæ illæ continent, metallica discerpsit. Dum ergo terra hæc, quæ in Antimonio sulphuris nomen induit, ab additis salibus, præcipue nitro, quod inter oparandum fixatur, absorbetur, particulae metalli liberantur, et, cessante motu ignis, terram illam in fluore conseruantis, ex hac deturbantur, et coniunctim in fundum conifusorii, uel uasis, in quod massa infunditur, delabuntur. Ex quo elucet, metalla alcalicæ esse naturæ, dum non modo eum, quem acria præstant, effectum in corporibus edunt, uti hoc paulo antè de auro demonstrauimus; sed etiam easdem, quas acria, mutationes subeunt. Non enim tantum eadem uia e consortio reliquorum extrahuntur, sed æque, ut illa, attenuari possunt; siquidem mercurius uiuus nihil est aliud, quam metallum, ab acido subtili attenuatum, quod æqua cum oleis destillatis fortuna gaudet. Nam licet et in mercurio ab acido facta fuerit metalli, uti in oleo salis acris, solutio, cuius beneficio calore in sublime tollitur: tamen præponderat metallum solutum, quod non tam grauitas, quam effectus prodit, dum acidum æque, ac olea destillata, absorbet. Imo oleum uitrioli, spiritum uitrioli absorbens, hoc ipso indicat, quod nihil sit aliud, quam uolumen ramentorum metallicorum, quibus minerale illud, ex quo summa ignis uiolentiâ expressum est, abundat. Et sicuti fides obseruationibus constat, quod metalla, in primis aurum, ex siliceo uinearum fundo, ope succi uitis nutriti extracta, atque euecta, uuarum acinis se admiscuerint, imo in mineris, instar uegetabilis efflorescentis reperiantur: ita ars eadem metalla cre-

sce.



fcere facit, uelut Arbor Philosophica id ipsum demonstrat.

XIX. Videamus iam tertium genus productorum artis, a natura adiutae. Sunt illa, quae fermentorum more augentur, et Fluido innatant, ut Extracta, Tincturae, Essentiae, et id genus alia. Atque hoc modo potissimum incrementum capere uidemus acida, et iis conuenientia oleosa, seu inflammabilia, quibus addenda sunt uiscosa, et quae facile sibi cohaerent, licet maxime mista sint, et ex plurium generum partibus constent, ut sunt pulpa uegetabilium, gelatina animalium, concreta lapidosa, et alia, quorum augendi modum supra ostendimus. Vt haec coire possint, requiritur blandus fluidi illius, beneficio cuius particulae coniungendorum deferantur, motus, qui calore inducitur, siue extrinsecus, siue intrinsecus per fermenta foueatur. Immo, etiam sole externo, et mechanico, seu manuali motu coniunctionem fieri, in confectione butyri uideamus, licet.

XX. Vltimus hic corporum producendorum modus obseruatur non tantum in Concretionem, sed praeterea etiam in Nutritionem, et Augmentationem Vegetabilium, atque Animalium, prioribus tamen modis non penitus exclusis, praecipue, ubi alimonia in primis, quod dicitur, uis praeparanda est. Quam augmentationem licet supra in explicatione fermentorum quodammodo exposuerimus: tamen hic paulo fusius describemus. Cum primis autem hic requiritur sufficiens alimenti apparatus, in animalibus quidem satis conspicuus, utpote quae eius defectum non diu absque interitu sui ipsorum tolerare possunt. Sed, si uegetabilia  
respi-

msup

respiciamus, mirari subit, unde tantum incrementum accedat, cum exempli causa, quercus annosa tantae proceritatis, et molis sit, nec tamen ullum terrae, cui insita est, decrementum fentiat: nisi quod illam plurimum nutrimenti ex atmosphaera, quam Panspermiam ueteres nuncuparunt, capere probabile uideatur, quae cum rore deciduo ad radices eius defertur. Maxime, cum uideamus, semina frumentorum, terrae commissa, tanta ubertate foenus non deponere, nisi ager emaciatu certis annorum interuallis fimo fuerit foecundatus, qui ramenta straminea, excrementis animalium macerata, et discerpta, germinanti plantae maiori copia communicat, ut haec caulem spissiore aleat, pluraque grana protrudere queat. An uero tota planta concisa, et ab admixtis inconuenientibus depurata, et deinde decenti caloris gradu fota, iterum absque seminio, solo artis beneficio, (quod praecipue in separatione principiorum eius, seu partium genuinarum ab alienis, earundemque coniunctione consistere dicunt) possit produci, in ea quidem re, experientia destitutus, nolim certi quicquam definire. Equidem non repugnat palingenesia haec legi, et ordini Naturae, quem in generatione seminiu obseruat, uti ex Bechero supra tradidimus. Eundem productionis processum inuenimus etiam protensum ad genus animalium, dum similia de generatione anguillarum, cancrorum, et uel maxime insectorum legimus. Quin et nonnullorum curiositas dicam, an uesania, eo processit, ut ipsum hominem hoc modo renouari, uitamque eius, denuo repetendam, prolongari posse, sibi fuerint imaginati. Ceterum haec dubiam redderent Physicis hodiernis eam, quam

quam de generatione aequiuoca alunt, sententiam, in primis si per eam talem tantum intelligant, ubi deficit feminium. Sed, ut in eo quidem ueteres falsi sint, si putarunt, nihil de noua insectorum progenie, quod eius naturae fuerit, praeexistisse, cum omnia ferme terrae spacia inconspicuis insectorum feminibus conspurcata, non addam, atomis ipsorum, post mortem residuis, referta sint, unde illa facile udo solis calore excitari, hae uero coire possunt: attamen conatus eorum laudandus, dum interiora rerum rimari, quam circa corticem, et testam uersari, et de ea inuenta lactari, consultius duxerunt.

XXI. Verum enim uero reuertamur, unde non nihil digressi sumus, ad Nutritionem Vegetabilium, atque Animalium, quae, uti saepius dictum, fermentorum more, nempe appositione partium, absoluitur. Ouulum nimirum, seu feminium, quod est uolumen particularum, a corpore deciduarum, uesiculis intrusum, uel ab aere externo ambiente crusta obductum, concludit omnem corporis constituendi apparatus, qui tamen nec iusto ordine est locatus, nec ob admixtam lympham spissiore, uel pulpam commoueri aptus est: accedente uero calore, qui in uegetabilibus a sole, adiuuantibus salibus fimi; in animalibus a fermento masculi genitali, tenuissima quoque partium ramenta procul dubio continente, sustentatur, inducitur materiae feminali motus partium. Exinde, ut supra monitum, quaelibet suum locum occupat, et ex lymphâ, uel pulpa rarefacta, seu emollita, sibi nutrimentum decerpit, donec embryo, aut germen, ob molem, uel defectum alimoniae, receptaculum frangat, et maioris mundi a-

D

lu-

lumnus fiat. Apte uero collocari possunt, durante fermentatione, minima in ouulo, dum crusta externa obstat, quo minus impressionem alius corporis moti recipere, indeque perturbari possint, quo propugnaculo postea opus non habet foetus, ubi, adepto uigore, ipse sufficiens est, alimento praeparando, et admixtis huic incongruis subigendis. Potissimum uero duarum istarum Naturae specierum, nempe Vegetabilium, et Animalium, constituens est terra fibrosa, filorum instar uillosa, quae ab admixtis aliis uarias induit figuras. Sic per se contorta eiusmodi filamenta constituunt neruos, et fibras alias; contexta praebent membranas, quae conuoluta efformant canales, et ductus; aquae immersa, et subacta generant lympham, quae si inspissata est, uocatur gelatina; sin partibus aliis crassis, et salinis, pinguibusque scatet, sanguis est. Gelatina uero, fibris intrusa, conficit carnem; crassioribus autem, et salinis mixta, atque humiditate priuata, ossibus formandis inseruit. Ceterum huius terrae fibrosae minima ramenta, humore imbuta, aetheris transitum retardant. Proinde ob anfractuosos meatus iste implicatur, et ramenta illa largiori, quam alia corpora, copia implet, constituitque olea, quae, folliculis membranaceis inclusa, pinguedo dicuntur. Atque eodem modo partes uegetabilium molliores, et durae, friabiles, et fissiles constructae sunt, et illud saltem generale discrimen admittunt, quod crassioribus salibus, aliisque abundant, cum in animalibus, ob fortiores resolutiones, et attenuationes, ista cum reliqua substantia longe subtiliora, magisque subacta existant.

XXII. Atque ita sufficienter, quoad quidem eius fieri a nobis potuit, explicatam esse Corporum Productionem puto. Restat igitur modus conseruandi corpora, quem natura arti concessit. Itaque conseruantur corpora in esse suo iis, quibus constant particulis, ubi ueterum canon obtinet; *Similia similibus conseruantur.* Iisdem ergo defectus, si quis lubest, suppletur. Quodsi uero toti admixtum fuerit contrarium, ruinam minitans, tunc ii mutationum corporum modi in auxilium uocandi et adhibendi sunt, quibus illius, quod disconueniens, & noxae est, exclusio perficiatur. Sunt illi dissipatio noxii in auras, et eius praecipitatio, seu detrusio. Ne uero nimis generali tractatione, habito respectu ad singula Naturae regna, obscuri uideamur, corpus tantummodo nostrum curandum contemplabimur, solliciti non tam de morbis, quam morborum causis.

XXIII. Primo itaque in corpore nostro occurrunt partes fluidae, quae et corruptioni magis sunt expositae, et noxam ad solidas deriuant. In his uero frequentissimum est acidum peccans, dum non modo liquida illa, quae assumimus, singula, acorem contrahunt; sed et sanguis, fons omnium humorum, cum nihil aliud sit, quam Chylus, hoc est, lac digestionem rubefactum, raro naturam suam deponit; uerum lactis instar facile acefcit. Vnde non per se tantum dolores uarios in partibus neruosis excitat, et condensando sanguinem, uel lympham, ductus corporis nostri obstruit; sed et admixtum salibus heterogeneis scorbuticorum, et cacochymicorum, nouis fermentis generandis ansam praebet, quae, motum sangui-

nis vitalem subigendo, in legem sui motus abripiunt, quod in febribus continuis contingit : imo partes solidas inuadunt, illasque uigore suo priuant atque ulcerant, quae ulcera, partem quandam, in primis tenuem occupantia, totam sanguinis massam acribus particulis imbuunt, eamque et nimium attenuant, et, solidarum partium consistentiam, consumendo, earumque pabulum conterendo, totum corpus extenuant, et tabescere faciunt. Itaque uelut ultimorum horum symptomatum causa est humorum acrimonia ; ita priorum faber est aciditas, quae absorbentia in cura requirit. Cum tamen ea ipsa non unius sit generis, quandoquidem diuersam deprehendimus in succo citri, berberum, ribium, diuersam in aceto uini, hordei, tritici ; diuersam denique in spiritibus, acidis, et aquis stygiis : ideo diuersa quoque ad illam destruendam remedia requiruntur. Sic in dysenteria tanta interdum canalem alimentorum occupauit acrimonia, ut non secus, ac mercurius sublimatus, crystallo montana uelit domari. Sed cum species acrimoniae, peccantis in corpore, difficiles sint cognitu, propterea non immerito pulueres bezoardicos tot absorbentium species ingrediuntur, ut ex hac multitudine acidum sibi conueniens, uel contrarium eligere possit, in quod, elusis reliquis, agat. Nec inepte, ut quidam uolunt, auri folia iis admiscantur, quorum effectum in ulceribus, aquae regiae acrimoniam redolentibus, supra indicauimus. Attramen uim auri, quam nonnulli iactitant, uniuersalem non percipimus, licet eam Medicum quendam, qui inter alia arcana aurum, amalgamatum the-

theriaca, tincta fantalo, et in pilulas efformata, occultabat, uenditasse haud ignoremus. Non tamen semper pura adhibita absorbentia uoto Medici respondent, sed incitamento salino, alioque interdum opus habent, illo cum primis tempore, ubi uisciditas, et lymphae stagnatio adest, quam sola diluentia diffringere nequeunt. Porro nunc fixa magis, nunc uolatilia eliguntur, si forte altius pertingere, atque cito ad extrema corporis peruenire debeant. Et, quod sigillatim ad salia uolatilia attinet, illa, pro ratione subiectorum, modo simplicia, modo oleosa requiruntur.

XXIV. E contrario, ubi nimia acrimonia obtundenda est, qua humores, ultra modum resoluti, et rarefacti, ebulliunt, atque liquefcunt, tunc acida in auxilium uocanda sunt, eademque modo fortiora, modo debiliora, nonnunquam acribus saturata, quae falsa uocant, non neglectis conglutinantibus ostracodermis. Haec acida, amaris potissimum, seu terreo-salinis sociata, tonum fibrarum roborant, dum nimiam, quam imbiberunt, humiditatem, unde laxantur, absorbent, atque exsiccant. Atque horum medicamentorum omnium operandi ratio in eo consistit, ut mixta prauis humoribus corporis nostri hofce inuertant, et noxium uel per insensibilem transpirationem, aut manifestum sudorem expellant: uel praecipitando cum reliquis fecibus deturbent.

XXV. Qui uero partes solidas obsident morbi, hac eas ratione inuadere, ac uigore suo priuare solent. Nimirum sanguis, omnes partes perluens, in motu suo progrediente impeditus, idque uel a causa

interna, tubulos obstruente; uel externa, illos comprimente, aut dilacerante, circa partem illam, ubi laesio facta, stagnat. Vnde ab affluxu insequentis cutis eleuatur, qui tumor, grumos sanguinis coagulati concludens, si per interna, et externa resolutio discuti nequeat, putrescit et exulceratur. Atque hoc ulcus si leuius est, nec cum distorsione fibrarum, et ossium conuassatione coniunctum, facili negotio a sana parte abscindi potest: quam in rem per digestiua, uti uocantur, mucilaginosa, perspirationem, et resolutionem concreti sanguinis impediencia, putredo carnis promouetur. Ipse enim sanguis, liberatus ab hac remora, resareit carnem, non secus, ac in uulneribus, et ossium fracturis, inducendo callum, separata coniungit, si modo obstacula, reuentionem impediencia, remoueantur, applicatis balsamicis, acorem corrigentibus, et impositis, quae aerem arcent, munimentis. Quod si uero pessimae iam recensitae circumstantiae corpus cacochymicum attingant, aut exulcerationis cura protrahatur, tunc fermentum putridum, aucto pabulo, proserpit, et, praeter sphacelatas, uiuidas ac sanas corporis partes, non raro cum totius hominis internecone, peruadit.



*Nobilissimo Domino*

# CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS, P.P.

**L**icet multa sint, quae medicum ornare atque commendare possint, nihil aequae tamen eundem adiuuat, nihil decorum magis ipsi est, quam pulcherrimum illud scientiae genus, quod immensum illud naturae amphitheatrum nobis contemplandum proponit. Hujus enim beneficio abstrusa corporum nobis patent, abditarum rerum causae elucet, totius denique naturae opes nobis explicantur. Quae cum medicum imprimis scire expediat, quod hic minister sit naturae, hinc de facili adparet, quam eximium lumen Physicae medicinae praeferat, meritoque inde ejus oculum adpellari. Nisi enim intra hujus contubernium quis versatus fuerit, nisi hujus praecipis fuerit innutritus, nae ille parum recte in doctrina medica proficiet, & in spissa caligine ac tenebris oberrabit. Quo magis enitendum reor omnibus, qui salutari arri sese dediderunt, ut Philosophiae & Physices maxime praesidiis confirmati ad medicinae studium transeant, quod hujus summum in re medica sit decus, necessitas par. Fuit & hoc Tibi semper propositum, *Nobilissime Domine Candidate*, ut omissis ceteris, quae parum utilitatis promittunt, naturali imprimis scientia  
ani-

animum excoleres; quippe non obscurum Tibi erat,  
sine hujus ope in medicina omnem plane industri-  
am sinistre collocari. Cujus quidem rei testimonio  
esse potest præsens Dissertatio, quam ex fontibus  
physices eleganter deduxisti dato ingenii, quod per sa-  
tis longum tempus in ejusmodi studiis exercuisti, ex-  
perimento. In quo quidem illud in primis mihi laude  
dignum videtur, quod Tui ingenii labor sit, & ut  
Tuus maneret, nec adjeci ego quidquam, neque com-  
mutavi. Gratulor interim Tibi, *Nobilissime Domine  
Candidate*, primum de hac eruditione, deinde  
etiam de ipsis honoribus, proxime Tibi conferendis,  
Faveat porro DEus suis muneribus, quæ concessit  
Tibi, & det, ut ad sui gloriam hominumque salu-  
tem eadem prouehantur. Vale. Halæ XX. Kal.  
Decemb. M DCC VII,



UF 1378

ULB Halle

3

001 958 240



sb

V077







2. D. B. V. 9. 33  
DISSERTATIONE INAUGVRALI MEDICA  
**LEGES NATVRAE**  
IN

**CORPORVM**  
**PRODVCTIONE ET**  
**CONSERVATIONE,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. PHILIPPO WILHELMO**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENB. CETERA,

*PRAESIDE*

**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
CONSILIARIO ET ARCHIATRO REGIO,  
MEDICINAE ET PHIL. NAT. P.P. h.t.  
DECANO,

*PRO ADIPISCENDIS SVMMIS IN ARTE*  
*SALVTARI HONORIBVS,*

*Ad D. XXII. Novembr. M DCC VII.*

exponet

*A V C T O R*

**VRBANVS GODOFREDVS BVCHERVS,**  
**MISNICVS.**

---

*HALAE MAGDEBYRGICAE,*  
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.